Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 5. Februarii.

M. DIONYSIO DODART, Doctore Medico, Præside.

An cancro hydrargyrus?

TUMOR durus, inæqualis, dolens, primùm quibusdam quasi punctis minutissimarum acicularum, tùm apertè lancinans, denique seipsum vicinaque, depascens, sponte hiscens in ulcus sanioſum nonnumquam immani fœtore, Cancer dicitur. Hujus nascentis malignitas semper subest, sæpè latet ægrotos, nonnumquam & Medicos, ubi dolor obscurus, & æger ad sensum tardior, aut constantior, omittit conqueri. Ut germinant toxico, aut feræ lactanti sua constat malefica indoles, obvoluta licet, propè diem in apertam perniciem eruptura; ita & nascenti Cancro. Facies diversa, natura eadem. Idem ergo nomen. Una in agnoscendis initiis dubitatio. Quibus ignoratis aut pernicioſa negligentia, aut cæca, & sæpè pernicioſior curatio: agnitis & medicatio facilior quam provectioribus, & ejusdem generis. Hujus sedes glandulæ externæ, fere solæ, & omnes, sed mammarum præcipuè, oris, uteri. Nec minus obæsos, candidos, floridâ facie, teneros, cute delicatulâ, & succulentis alimentis indulgentes, immò multò sæpiùs infestat, quàm fuscos, duros, graciles, & mulieres potiùs quàm viros.

GLANDULARUM parenchymata totum corpus occupant, omnes humores complectuntur, sive quòd aliæ alios transmittunt & perficiunt, ut chylum & serum; seu quod alios purgant aliæ, ut sanguinem; seu quod alios aliæ faciunt, ut humores reliquos, quotquot vitam faciunt, fovent, propagant, juvant. Harum aliæ globosæ, quodam vasis proprii filo, quasi præfectæ, serum hoc quod lympham vocitant Recentiores, ex vasis sanguineis perpaucis, nervis per multis fortè & membranis susceptam, per vas proprium circulatorium, id est, lymphæ ductum revehunt in subclavias venas. Tales, quæ ad cervicem, axillas, inguina, & mesentericæ lactææ, quæ chylum præterea convehunt non ad cor, quod sanguinem subigit non facit, sed ad venas superas, fortè & ad inferas ut aliquando visum. Aliæ instar acinorum uvæ ex multiplici vasorum sanguineorum, nerveorum, propriorum quasi racemo pendent agglomeratæ communique membranâ involutæ, quam perreptant multi lymphæductus cum nulli glandulæ parenchyma subeant. Unaquæque ex humore ab arteriis, irem alio ex nervis suscepto inter se mixtis, proprium facit, coquit & propriis canaliculis cortivatum per proprium effluvium effundit. Harum Princeps Cerebrum, ut & vitæ totius, etiam Cordis; ipsum non glandulæ tantùm simile, sed glandula agglomerata sui generis materiam ex arteriis acceptam, non tantùm conglobatis per nervos suppeditat, sed etiam agglomeratis omnibusquæ peculiarem humorem faciunt, quales Oris & quæ Uteri concava tenent, & quæ Mammarum sunt. & quæ Cuti subsitratæ sunt, tam numerosæ quam pili & lanugo quæ totum corpus vestit. Omnes per se albæ ut reliqua corporis ferè omnia, si bilem & unum sanguinem excipias, qui & ipse oritur ex pellucido primigenius; quotidianus ex albo, & in album facilè faceſcit. Sed agglomeratarum nonnullæ quæ purgant sanguinem, eo præterlabente rubeſcunt impensiùs, in his, non pulmones non lien, sed jecur & renes. Cæteræ, imò & renes ipsi & conglobatæ omnes pellucidum humorem generant, qualis nervorum liquor, lympha, saliva; aut album, quale lac uteri, mammarum. Horum quidam quamvis subviſcidi, ut saliva; alii ad concreſcendum prompti, ut lympha; alii etiam sponte concreſcunt, ut lac: omnes tamen per vasorum tamuſculos exilitatis infinitæ in parenchyma glandularum ſtillant aliorum vasorum radiculis ex eodem hauriendi, ut mirum non sit eos in vasis tam angustis aliquando subsistere, in parenchymate per se frigido sanguinis parùm habente in ambitu corporis aliquando concreſcere. Inde tumorum genus multiplex ab humore peſtilenti, venereo, ſtrumoſo, conglobatarum; qui duo poſtremi & oſſa labefactant; Cancer solas glandulas occupat, ut & bubo peſtilens, & utrumque glandularum genus afficit præsertim autem agglomeratas, & inter eas, maximè quæ Mammarum sunt, tùm quæ Oris, quarum partium humor facillimè denſatur, uterque saporis mediocris, & quamdiù sibi conſtat ferè inodorus: sed dum morâ vel fermentatione spontaneâ computruit, acerrimus, fœtidiſſimus.

HÆC sedes Cancri. Non glandulæ rubræ, viſcera ſcilicet; quippè sanguineæ, & calidiores. Non albæ internæ, quarum humor interno calore fluidior. Inde initia, augmentum, exitus. In glandulis per seſe denſoribus, sæpè ictu, preſſu vexatis, ut mulierum mammis sæpè accidit, dum duriori, & arctiori thorace, junceas se facere contendunt, lympha vel proprius humor, justo craſſior, acrior, ſtagnat, computreſcit, fermenti vim adipiſcitur, novi appulsu humoris non corrupti, sed fermenti afflatu ſtatim corrumpendi augeſcens, glandulam diſtendit, concretus indurat, seri tenuiſſimum exprimit, & efficaciſſimum, quod inficit vicina, ſerpitque eodem vitio, donec morâ gliſcens veneni malitia in venas reflua, una cum sanguine, perniciem ad ipsa vitæ penetralia vehat. Veneni naturam, quis novit? certè quàdam ſimilitudine cauſticorum omnis generis ſibi ſuccedentium, denique conjunctorum ut cumque adumbrare licet. Prima doloris puncta, & concretio partium lymphâ sero diffluentium, acorem ſtygium sub indicant. Succedens inde partium depopulatio, doloriſque morſus, quaſi à lixivio atri saponis. Tumor sponte ruptus, arque aëris madore aut ipſius contactu quaſi sponte factus efferatior, calcem exhibet, aut vulgarem affuſâ frigidâ ferventem, aut ex sale plumbi redivivam à retortâ recentem, vicina inflammantem aëris contactu, qui ut vitæ fomes, ſic & mortis. Denique fœtor immenſus, laniatus doloris, velut à sepiciis quæ putrefaciendo mordent, quale arſenicum. Inde mors, poſt quam ſi Cancri intima rimatus fueris, concretam in glandulis pituitam invenies, vel inſtar glutinis pellucidam, vel gypſi inſtar albam & opacam; atra vasa per summam curem, inſtar pedum animalis cancri porrecta, aut nuſquam, aut vanam eorum ſpeciem; sed venas Mammarum proprias & perpetuas, humore diſtentas, & diſtentâ indeque attenuatâ cute magis apparentes, ut ſolent lactentium, aut ventris, fœtu immò & aſcite diſtenti. Igitur seroſi, vel pituitoſi humoris indicia multa, aperta; atræbilis, aut nulla, aut dubia, quæ, ſi qua ſub-ſt, ſi quo pacto ad ambitum exundat, maximè quod in ſanguinea vaſa refluens, cum ſanguine circum agatur, ut vel totum corpus æquè afficiat, quemadmodum in Elephantiaſi, vel ſi partem affecerit, anthracem faciat, Canerum, ſi ſenſum conſulas, aut nuſquam, aut raro. Quem ſi quando faceret, in jecore aut liene faceret, quæ cancrum nuſquam ſunt paſſa. Partem Cancri an conferat aliquam, nec negare nec affirmare promptum, & ſuſpicari proclive quaſi occultum fermentum, adeoque expoſitu facile. A quolibet humore oriatur partis vitium eſt non totius. A quo cauſæ proximæ materia alia magis, alia minus mutabilis in proximam. At morbi cauſa princeps fermentum mole minimum, vi maximum, partem ſolam occupat, ut ad hanc curatio omnis dirigenda ſit, ad humores autem in univerſo corpore circumfluos ſola præcautio. Utraque vel humoris mutatione per oppoſita facilior, ſi aut uſu, aut ratione aliqua comperta eſſent; aut contemperatione per victus rationem. At ea ſi non ſufficit excludendus humor, quem satis eſt ἐμπειϰῶς noſſe, dum excludendi machinæ non deſint, quamvis hujus natura & vitium ignotum eſt.

CANCRUM sanari poſſe qui negant, vel re ipsâ falluntur, vel hiſtoriæ Medicæ fidem detogant, vel verbo litigant. Sanatus eſt non ſemel etiam conclamatus. Nec melius negant Cancrum fuiſſe qui sanatis eſt. Satis ſit eos tumores haberi Cancros, qui omnes noras præ ſe ferunt, quæ à Veteribus Noviſque ſunt traditæ. Tumor difficilis, ut vix convaleſcat, centeſimus quiſque, & infidus, ut non raro viſus ſit cicatrici proximus recruduiſſe, & obducta cicatrice repullulaſſe poſt biennium. Sed non ideo non curandus, cum ab omiſſo certa pernicies, & curatus nonnunquam sanetur. Tumor ſi eò proceſſerit, ut caro glandularum concreta ſit, aut ſinendus, aut exſcindendus, abſumendus; maximè qui digito mobilis. Qui latâ baſi ad hæreſcit, aut vix, aut numquam saneſcit. Utcumque igne, ferroque radicitus extirpatus, minimis fibris renaſcitur, quas candenti ferro aperte & otioſè rimari exundante ſanguine, ægroto per doloris immanitatem propè examinato non licet. Tutiùs, ſi in ægroto alioqui certo perituro ulla ſpes, coactus Medicus ad abſumentia animum adjiciet, ea maximè quæ corrupta exedere, & integris parcere, & alitè citiùs penetrare, nec diffluere, & minimo dolore omnia præſtare comperta ſunt. Omne punctum tulerit cauſticum, ſi, dum abſumit corrupta humoris partem nondum concretam, quæ affluentis corrumpendi fermentum eſt, diſſipare utcumque poſſit. At naſcenti Cancro occurrere longè facilius, in quo & fermentum indole non ita ferox, & mole minus & mobilius, ut in parte affecta & diſſipari faciliùs, & ab ea dimoveri, & ſanguini, vel ſero præterfluenti tradi poſſit diluendum, & quaquà verſum impunè diſpergendum, facilè diſſipandum.

HÆC omnia ſi quidquam aliud, præſtat hydrargyrus, metallum graviſſimum, diſſipabile tamen, ima ſummaque peræquè penetrans, habita olim ſolo pondere pernicialis, quo comperta poſtmodum eſt ſalutaris ileoſis ab inteſtino ſeipſum subeunte. Ubique mole innoxia; parcit laxis tenerrimiſque partibus, ventriculo inteſtinis, ut impunè deglutiatur ad libras. Vapore pernicialis, quo nervos & ipſa oſſa penetrat. At ſapienter adhibita medicamentum ſingulare, efficaciſſimum, tutiſſimum. Africata cuti vel ſuffita, concreta ſolvit, mollit, diſſipat. Arte vires novas adipiſcitur, murat ſpeciem, naturam non mutat. Sive admixtis ſalibus modicis, acie eorum obvoluta ſiſtit maleficium, ipſa ſit cathartica, cætera hujus generis omnia deducit altius, ignava urget, ferociora moderatur, ſive ſalibus plurimis abſorpta eorum vim intendit, ipſa ſit cauſtica, venentum emeticum, quolibet modo larvata, ſemper ſibi ſimilis, proprias ſemper agit partes, humores in vaſis cujuſlibet generis exagitat, ſerum maximè atque pituitam, ſive in vaſis ſanguineis circumagitur, ſive in propriis refluit per conglobatas glandulas, ſive in agglomeratis conſtat ad cutem, ſive ſtagnat in utriſque. Undecumque nonnunquam per innumeras inteſtinorum glandulas, in imam deturbat alvum, aut per ventriculi papillas vomitſone explodit, ferè ſemper in oris glandulas exantlaram per ſalivales exitus excludit, maximè affricata, aut ſuffita. Plenum diſcriminis auxilium ſi urgeatur acriùs, aut temerè adhibitum ſibi permittatur. At mitiſſimum, tractabile, tutiſſimum, ſi cautè ſenſim adhibitum, revocetur identidem alvum ducentibus, nec ideo minus efficax modo diu adhibeatur; ſtrumarum præſertim naſcentium eo pacto medicamentum optimum. Quidni & Cancri? Cum & sæpè easdem partes occupet, & ex eâdem materiâ coaleſcat, licet alio modo affecta; & meritò videatur profuturum, & in perniciosò propè immedicabili morbo, tale quidlibet tentare liceat & expediat, maximè ſi impunè tentari poſſit; nec ullis argumentis ullâ hiſtoriâ conſtet, eâ ratione adhibitum nocere conclamatis, quanto minus naſcentibus, aut nondum provectis ad ſummam duritiem? Quos mollire, ſi quidquam aliud, & diſſipare poteſt, impoſita, cruda, inſipida, temperata; exhaurire affricata, nullo periculo, quippe quæ nec humorum acredinem intendere poſſit, immò & poſſit obtundere per ſe, & acorem conglobatæ, vel agglomeratæ, cancroſæ, mole minimum, incitato pituitæ ſerive, & mitioris dilutioriſque ſanguinis curſu, diluere poſſit, ipſa ſanguini mixta combibere. Cancrum ergo naſcentem & latentem admotâ, ſumptâ, hydrargyro, ſummâ adhibitâ cautione, diù, ſenſim, interpoſitis molliſſimis purgantibus admixtâ his hydrargyro dulci, quæ & ferocia mitigat, nullâ intermiſſione tentatum, ſi ullâ ratione fieri poteſt, labefactabis; exulceratum, hydrargyro acri vel præcipiti rubro, arſenico, tetrapharmaco inter ſe mixtis abſumes, eò commodiùs quòd ſalivam nonnumquam moveat; adeo quemadmodum optima medicamenta ignaris venena, ita Medicis nonnumquam ipſa venena optima medicamenta, & ſimilium ſimilia.

Ergo cancro hydrargyrus.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Germanus Preaux.
M. Petrus d'Aquin, Medicus Regis perpetuò ordinarius.
M. Ioannes Cordelle.

M. Petrus Ozon.
M. Guillelmus Lamy.
M. Petrus Yon.

M. Claudius de Frades.
M. Ægidius le Bel, ſeren. Aurelianenſ. Ducisſæ Med. primarius.
M. Abraham Thevart.

Proponebat Pariſiis JOANNES BOUDIN, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1682